

securum. Timuit quippe corde anxio horribilem daemonum aspectum et terribiles vultus eorum. Nec immerito, si enim cruenta bestia cum malis angelis affuit in transitu celeberrimi confessoris beati Martini episcopi¹⁶, morienti astitit terroremque incussit, quis non expavescat daemonum horrorem et terrorem? Revocans igitur humilis Christi servus ad mentem similia, quae de beato Martino leguntur, huiusmodi orationem fudit ad dominum: „Domine deus meus, pater clementissime, salva me plasma tuum, nec permittas, ut iniqui daemones terreant me neque illudant mihi. Scio enim, domine, quod animam meam ingenti furore persequentur et terribiliter atque pertinaciter eam retinere conabuntur, nisi sit, qui eripiat.“ Et dominus inclinatus his precibus ait illi: „Dilecte mi, ne timeas a facie inimicorum tuorum, quia ego tecum sum, ut eruam te. Angelis enim meis mandavi de te, ut custodiant te in articulo mortis tuae. Inimicos etiam tuos omnes ad infernales poenas retrudam, nec unus quidem ex eis audebit apparere tibi“. Hac benigna Christi sponsione animatus Conradus coepit, maiori cum fiducia his verbis dominum interpellare: „Mi domine Iesu, complaceat hoc bonitati tuae propter temet ipsum, ut mater tua piissima virgo Maria in hac hora mortis meae sit conductrix et protectrix animae meae. Re vera ipsa est teste scriptura, quae progreditur ut castrorum acies ordinata, scilicet hinc inde suffulta angelorum ministerio, ob quam causam ipsa consurgens ut aurora inimicis daemonibus apparet terribilis.“ Super hac petitione Christus dulcissimum cum Conrado habuit colloquium offerens ei beatorum aliquot angelorum praesidium. Hinc factus audacior Conradus respondit: „Domine, tu nosti, quam devotum et sedulum matri tuae exhibui obsequium et quantum benignitas eius mihi ingerit indesinenter optatum solatium. Anchoram itaque maximae fiduciae et spei meae in ipsa post te, domine, totis viribus collocavi. Fac ergo, domine Iesu, potiri solatio conductu solius matris tuae et sic mihi sufficit. Scio namque, quod fulgori claritatis eius cedit praesumptio pervicacis diaboli sicut pulvis a facie venti. Ergo ipsa me conducente non metuum et ipsa propitia ad te, bone Iesu, perveniam. Ibi bonum et beatum est, erit mihi esse, ut claritatem tui luminis intuear et ipsius beatissimae Mariae quasi praeclari sideris scintillantem fulgorem in tuo throno contempler.“ Cui dominus postremo sic ait: „Conrade dilecte, mi fiat tibi, sicut credidisti et petisti.“

16) Vgl. *Sulpicius Severus, Epistola 3, 16 (wie Anm. 6) S. 149.*